



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90118014**

§. 6. Romanorum Epistola ad Conradum Regem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](#)

**Sæcul. XII.** Dioeceses illarum civitatum, quæ Saracenorum invasione Metropolitas suos amisissent, Archiepiscopo Toletano subdiubentur, quamdiu illa rerum facies in Hispania duraret. Ceterum Lucio II. Romæ sedente Alphonsus Dux Portu-galliae, & postea Rex, Ecclesiæ Romanæ lib. I. ep. 99. in censum annum quatuor uncias auri a se & hæredibus suis pendendas promisit.

## §. VI.

*Romanorum Epistola ad Conradum Regem.*

**Otto. Fri-sing. VII.** Inter hæc Romani, ut institutum suum exsequerentur, Senatoribus, sibi delectis, Patricium quoque addiderunt, **Chron. c. 31.** atque ea dignitate Jordanum Petri Leonis filium ornarunt, fidem ei tanquam legitimo Principi suo jurantes. Papam deinde adeunt, omniaque Jura Regalia, quibus potiebatur, tam intra quam extra urbem, Patricio suo debita reposcunt. Affirmabant enim, Papam Decimis & Christianorum oblationibus, antiquorum Episcoporum more, contentum esse debere. Papa prementibus Adversariis, auxilium Conradi Regis Romanorum imploravit, dataque epistola, ut præsidium Ecclesiæ Romanæ in se susciperet submisse rogavit. Sed & Romani seditionis ad Conradum dederunt epistolam, in

in qua videri volunt tantum ipsius com- Sæcul. XII.  
modo servire, & Imperium Romanum A.C. 1144  
sub ejus potestatem, ea ratione, qua  
Constantini Magni & Justiniani Impera-  
torum temporibus fuisse reducturi. Eo  
consilio, inquit, turres & domos  
munitas Romanorum potentissimorum,  
qui tuæ Majestati cum Siculo & Papa  
repugnare audebant, cepimus. Quædam  
& iis munimenta, destructis aliis, tibi  
servamus. Ceterum nobis, tuo imperio  
faventibus, maxime adversantur Papa,  
Frangipanes, Petri Leonis Filii, si Jord-  
anum Ducem & Principem nostrum ex-  
cipias, Ptolomæus & complures alii.  
Prosequuntur epistolam rogantes Re-  
gem, ne calumniatoribus suis aures  
præbeat, sed Romam veniat, majore  
splendore & potestate, quam omnes  
Antecessores sui Italiæ & Germaniæ im-  
peraturus, sublatis omnibus, quæ Clerici  
haec tenus posuissent, obstaculis. Et in-  
ferius: Scimus, Papam cum Siculo \* fæ-  
dera iniisse, eique, dato privilegio, usum  
Virgæ, Annuli, Dalmaticæ, Mitræ,  
& Sandaliorum concessisse, & promisisse,  
quod nullum ad eum, nisi peteret, Lega-  
tum missurus esset. Vicissim vero Sicu-  
lum Papæ magnam pecuniæ vim tradidisse,  
ut ea, quæ contra te molitur, exsequi  
valeat. Sed nec hujus Romanorum  
epistolæ Rex Conradus ullam rationem

\* Rege Si-  
ciliæ.

**Sæcul. XII.** habuit, sicut ante complurium aliarum,  
A.C. 1145. ab iisdem ad se scriptarum, quibus nullum responsum dedit. Contra Papæ Legatos, quos inter Guido Pisanus, Cardinalis & Cancellarius fuit, perbenigne exceptit.

## §. VII.

*Lucii Obitus. Eugenius III. Papa.*

**E**x quadam Epistola Lucii Papæ, ad Petrum Abbatem Cluniensem, vigesima secunda Septembbris, anno millesimo centesimo quadragesimo quarto, data, dispicimus, eum cum Rege Siciliæ consultasse, & pepigisse inducias. In eadem epistola Papa a Petro Abate petit, ut sibi monachos tredecim mittet, qui Romæ sedem figerent. His dedit Monasterium S. Sabæ, S. Gregorii ætate fundatum, quo Regulæ vigorem reducerent, ea conditione, ut ista Congregatio sub Reginine Abbatis Cluniensis esset. Hæc ex Bulla, decima nona Januarii anno millesimo centesimo quadragesimo quinto Indictione octava data cognoscimus.

Lucius Papa rebus humanis eripitur, decima tertia Februarii anno eodem, postquam in Pontificatu menses undecim & dies quatuor transegisset, atque in Ecclesia Lateranensi sepultus est.

Nec

*ep. I.*

*ep. 6.*

*Papebr.  
Conat.*